



*Act. 15.*





Inhalt:

1. De aequitate naturali. (1754.)
2. Vis et facultas clavulæ codicillaris testamenta destituta. (1767.)
3. Variæ iuris civilis observationes. (1767.)
4. De privilegiis cursus publici recte estimandis. (1768.)
5. De modo poeniarum. (1768.)
6. De nobilium iure negatiandi. (1768.)
7. De finibus potentatis ecclesiasticae regundis. (1768.)
8. Observations juris civilis. (1768.)
9. Miscella argumenta juris civilis. (1768.)
10. De successorio edicto. (1769.)
11. De conjunctione loci et suffragii in comitiis provincialibus  
cum dominio praedictum nobilium. (1769.)
12. De obligatione rusticorum ad operas per praescriptionem  
acquirenda (et) vel tollenda. (1769.)
13. De foro militari in Saxonia. (1769.)
14. De sectione cadaveris occisi. (1769.)
15. De crimine stellionatu. (1770.)
16. De origine et natura communis Laxonum manus. (1770.)
17. De argumento librorum CIC. de officiis, &c. ad Bellum noct. obit. I. 13 (1770.)
18. Quaestiones forenses. (1772.)
19. De pignoribus tacite contractis. (1772.)
20. Ad emendandas origines juris publici Germaniae. (1773.)
21. De iure conferendi dignitatibus in imperio Rom. Germ. (1773.)
22. De differentia judicum et magistratum juris dicundi  
apud Germanos. (1774.)

(v.)

23. De alimentis viduae indotatae ex feuda debitis. (1774.)
24. Archimarechallus imperii aeneatorum patronus et iudicis. (1775.)
25. Quibus modis nobilitas amittatur. (1776.)
26. De supra rei iudiciorum in imperio potestate. (1777.)
27. De vi legum et decretorum in territorio alieno. (1777.)
28. De arbitris honorariis ad historiam iuris civilis ill. (1777.)
29. De sententia novellae constitut. I. (1777.)
30. De abolitione veteri et hodierna. (1778.)
31. Subsidium caritatum imperatori praebendum qui  
ter imperii immediatos a servitio feudali suis dominis  
praestando, nisi alia maior causa accidat, non liberare.  
1779.
32. De banno contumaciae. (1781.)
33. De colonis mercatorum in Germania et praecipue  
34. Quaestiones forenses. II. (1783.) in Saxonia. 1783.
35. Bernhardus otscanius, dux Laxoniae, variis generis  
observationibus illustratus. (1783.)
36. Notata de comitibus Palatinis Saxoniae. (1785.)





9

MISCELLA ARGVMENTA  
IVRIS CIVILIS  
PRAESERTIM DECEMVIRALIS  
MAGNIFICI I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE  
ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

H. L. Q. C

D. XXIIII. NOV. CICICCLXVIII

P R O P O S V I T

A V C T O R

JOHANNES AVGVSTVS CLEEMANNVS

C H E M N I C E N S I S

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

I.  
Ges. D. Ernstd

MICHI A RROMENIA

OMNIS CIVITAS COLLEGAT

BRITANNIA DILECTIONE

PLACIDUS MUNERIS

ET SILENTIIS

OMNIS QVI VIT

PRO TERRA VITA VIT

PICTUS VIT

ET VIT

OMNIS QVI VIT

VIRO ILLVSTRI  
AMPLISSIMO CONSVLTISSIMO  
**TRAVGOTT PLAENCKNERO**

SER. ELECTORIS SAXONIAE A CONSILII  
COMMISSIONVM FISCI ELECTORALIS PROCVRATORI  
ET ADVOCATO CIVITATIS CHEMNICENSES  
PRAETORI, INSPECTORI  
SCHOLARVM REL

AVVNCVLO VENERANDO.

D. D. D

IOH. AVGVSTVS CLEEMANNVS



*Debet TIBI, VIR ILLVSTRIS, hic  
exigui licet pretii libellus interpretari, quanta in  
parte felicitatis meae collocandum censem, TE  
contigisse mibi fautorem, quo quem possem libera-  
liorem nominare, habeo neminem. Solet mentem  
meam saepe blanda quaedam transacti temporis re-*

*cordatio subire, vbi me parentibus orbatum in  
TVAM tutelam suscipiebas, et ego TE in locum  
Optimi Parentis suffectum nanciscebar Patronum  
Optimum. Sed tantum abest, vt hoc nomine TVAM  
in me propensam voluntatem possim pro dignitate ce-  
lebrare, vt potius satis intellegam TE cotidie  
tanquam parentem in me affectum fuisse, sic  
vt quam vitae rationem alias non tam laute susti-  
nuisset, illam, quum TV, quae commodi mei caussa  
abs TE peterem, prolixe ac copiose mihi porrigeres,  
possem bene atque feliciter capessere. Quam ob-  
rem, quum his omnibus praeclaris beneficiis me  
TIBI esse deuinctissimum cognoscerem: statui  
apud me, animumque meum sic composui, vt qualem  
modo adipiscerer occasionem, tali periclitaturus  
esset vires ingenii mei in TVA comitate publice prae-*

dicanda, ne apud TE et illos, qui scirent me  
TIBI multum debere, aliquam improbitatis suspi-  
cionem incurserem. Diem igitur quodammodo ex  
die dicens hoc meum officium in hoc usque tempus  
distuli, quo TVAM illam tot beneficiis specta-  
tam benevolentiam publico hoc monumento conspi-  
cuam redderem, TIBIque offerrem primitias qualis  
qualis doctrinae, pignus et pietatis et amoris, id  
leue quidem, pignus tamen. Ego vero adducor in bo-  
nam spem, fore, ut hi exigui labores TIBI non  
improbentur, praecipue quum iustissimae caussae mi-  
hi commendauerint hoc et scribendi et, quae scripsis-  
sem, ad TE deferendi consilium, ut quos, qua munici-  
fientia TV meis de studiis promeruisti, fugeret,  
scirent me a TE esse magnopere ornatum, et ut  
qui scirent, quam liberalem in modum me fouisti,

viderent, TE beneficia TVA contulisse in hominem  
baud ingratum. Accipias igitur vultu humanitatis  
plenissimo munusculum hoc, quod licet aestimari ne-  
queat eruditionis praestantia, tamen ab eo profici-  
scitur, qui voluit illud edere documentum obse-  
quii et pietatis. Ita vero, VIR ILLVSTRIS,  
fiduciam meam, quam in TVO patrocinio colloco,  
in posterum etiam animi TVI propensione confir-  
mes, de me vero sic existimes velim, me TVVM fa-  
uorem semper magno in pretio habiturum esse. Vale.

**I**ta fert saeculum, vt qui quid publici iuris faciunt, soleant longam narrare fabulam, qua et amplam dí- cendorum commemorationem instituunt, et lectori ope- ram praefatione commendant suam. Ego vero, animum quum primum ad scribendam adipuli, id mihi negotii credidi datum esse, doctis vt placerent, quas scripsisse paginas. Quod meum consilium, quo felicius possem re ipsa ad- sequi, coepi paulo curatius lustrare, quae antea de vno altero- ue iuris capite in chartam conieceram, quae quum talia inue- nirem, qualia nondum satis excussa essent, prout argumenti excellentia videretur exigere: facili negotio a me impetrare potui, vt illa paulo plenius enarrare, et iis, qua fieri posset, ra- tione aliquam lucem adfundere, apud animum meum consti- tuerem. Ego vero mihi non sumo, quae ob inopiam moni- mentorum, vnde clara et amplissima harum rerum cognitio hauriri posset, leuibus tantum argumentis adornata sunt, inter- posita

A 2

posita

III

posita quasi duplae stipulatione proponere; sed meo officio iam satis me functum esse arbitrabor, si tenui hac commentatione euincam, nondum omnia esse exhausta ab illis, qui priscas leges nitori restituerunt suo, earumque reliquias, quantum fieri potuit, hinc illinc magna industria tanquam sparsa Hippolyti membra collegerunt. Arque hunc leuis momenti laborem sicut viris doctis probatum iri cupio, ita ab ipsorum iudicio omne eius pretium pendeat.

LEGVM XII. TABVLARVM  
ET  
P A N D E C T E S  
B R E V I S C O L L A T I O .

Facturusne operae pretium sim, si conspicua seriei legum XII. tabularum vestigia, quae in Digestis deprehenduntur, quibus in locis haec duo iuris civilis monumenta conueniant, quibusque ab se inuicem declinent, paucis expónam? Felicissime quidem successit hic labor IACOBO GOTHOFREDO, qui in *Manuali iuris* ordinem Digestorum enarravit; sed quum nostrum consilium quodammodo ab illo diuersum sit, potissimum quidem eo tendens, vt alterum cum altero componamus, non dubito, quin ipsius rei praestantia habitura sit, quo operae, licet haud diffusae, parata tamen possit esse excusatio. Hoc igitur notissimum est, primas septem tabulas sibi propositum habuisse exemplar tam Praetores, qui edictis, quam illos, qui Digestis componendis operam dederunt, quum hae solae iuri priuato applicatae essent. Non quidem inficiamur, octauam, ybi de iuribus praediorum sancirum, in hunc censum eodem venisse iure, sed alia aderat ratio, cur illa amplius respici non

non posset. Etenim paullatim a Praetoribus in Edictis suis haec iuris priuati portio quasi in folle rei vindicationi erat subiecta. Hinc vindicias in Digestis comitarentur, quae de seruitutibus scriptae essent leges, necesse erat, quas sequeretur finium regundorum iudicium. Sed huius iudicij et illarum legum hac in tabula mentio facta est copiosissima. Huc pertinent aeterna quinque pedum auctoritas, addictio arbitrorum stlitibus ad finium iudicandis, nec minus digna notatu lex, quae modum posuit viae, caeterisque iuribus tam rusticorum, quam urbanorum praediiorum. Nam et de urbanis auctum fuisse, vix dubitare licet, quum nec aedium ambitum obliuione praeteritum videamus. Nec me poenitet sententiae, quam ab amplissimo quodam praeceptore ductam soueo, heic loci fuisse fancitum, ne licet in vicini derriumentum altius aedificare; quam quidem opinionem tenere maxime opus est in explicanda altius tollendi seruitute, nescio, quo tandem fato interpretes parum felices nausta. Sed quum ad enarrandas eius rei rationes idonea occasione iam destitutum me videam, consultius arbitror, quod amplius ea de re censeo, silentio praeterire. Demta igitur tabula, qua iuria praediiorum comprehensa, demtis illis, quae et ad regiminis formulam, et ad cultum sacrorum spectabant, atque additis cuique loco incrementis, quae postea accesserunt, sepm permansere tabulae, quibus contineretur ius, in quo sitae essent priuatorum hominum pecuniae et facultates. Principio quidem XII. tabularum operam dederant Legislatores delineandae rationi, qua caussae controuerse essent ad tribunal magistratum deducenda. Quas tamen si quis cum fronte Digestorum comparabit, facile cernet, longe diuersam esse vtriusque faciem. Et enim iam pridem antiquae illi morum simplicitati noluerat aetas recentior pretium suum statuere, sic vt magistratus iuris di cundi pristinum hoc ius cogerentur quodammodo adiuuare suis edictis. Sed et parum inde utilitatis redundasset in

iurisprudentiam Iustinianam, si Digestorum conditores  
 voluissent ad illas longius commemorandas incumbere. Quum  
 enim tum temporis celebris illa, quae intererat magi-  
 stratum et iudicem pedaneum, differentia non amplius in vſu  
 esset: saepe, quae ad formam experiri in iure pertinebant,  
 transferebantur in Digestis ad modum causas in iudicio pero-  
 randi, et hinc vicissim alia ad Protribunalia. In hac igitur cre-  
 bra iuri antiqui et noui commixtione factum est, vt re ipsa  
 vſu obliterata, sola relicta nomina speciem integrae antiquita-  
 tis prae se ferrent. Itaque nolo huic rei diutius immorari,  
 praecipue quum huc pertineant, quae praeente **SALMASIO**  
 de modo usurarum c. 16. maximam partem a **SCHVLTINGIO**  
 ad collat. leg. *Mosaicar. et roman. tit. 2. §. 6.* dicta sunt de inter-  
 polatis locis, vbi deletis vadibus vadimonioque deleto fideiul-  
 forem et satisfactionem iudicio sisti hodie in Pandecte depre-  
 hendimus. Transit oratio nostra ad tabulam ordine secundam,  
 quae iudicii et in rem actionum habuit rationem. Illa vero  
 capita, quibus de ordinandis iudicis statutum, diximus a  
 compilatoribus Pandectes, prout temporis necessitas exigebat,  
 mutata et parte prima operis comprehensa esse. Sed nec his  
 solis absoluta fuit haec sectio. Videor mihi non sine ratione  
 tum ex ordine partis secundae Digestorum, tum etiam e tractatio-  
 ne furorum in tabula lib. XII. secunda colligere, de veteri manus  
 iniectione heic loci fuisse actum. Et quum res hoc delicti pri-  
 nati genere erupta possit vindicari, placuit melioris ordinis er-  
 go poenas ab hominibus nequam huius maleficii reis sumen-  
 das adiungere, quam leges enarrandi rationem, nempe quae  
 cognationem argumenti respiceret, conditoribus nostris in  
 primis fuisse solemnum, usucaptionis exemplum, de quo  
 paullo post erit dicendi copia, plenius confirmat. Sed cur  
 in Digestis post rei vindicationem non opido poenae expedian-  
 tur in fures, ratio in promtu est. Etenim quum a Praefectis

Vrbi

Vrbi, ampliatis sui imperii finibus, potestas de his delictis cognoscendi Praetoribus indulgentia Imperatorum sensim esset ademta: coepit finium imperii et iurisdictionis regundorum iudicium esse difficillimum. In Edicto quidem perpetuo de furtis dictum suisse notauit IACOBVS GOTHOFREDVS in Quat. Font. Iur. Ciu. Iuliani, Caii, Paulli, Vlpiani auctoritate fretus, censuit etiam vi bona rapta Praetorem adhuc habuisse vindicem, quin eundem quoque de incendiis cognouisse. Num tanti viri sententia firmis argumentis approbata sit, nostrum iam non est disquirere. Id vero certissimum, sanctiones, quibus in delicta priuata animaduersum erat, quum in adsiduum Praefecti Vrbi Imperium transirent, paulatim omnes exemptas suisse e numero legum civilium. Hinc et, qui Digesta composuerent, optimam viam putarunt ingredi, si peculiari loco proponerent leges omnes de criminibus coercendis, quam ob rem septimam partem ad exemplum septimae tabulae huic argumento dicarunt. Quae uti non debebat in nimiam mollem excrescere, nempe ne caeteris impar magnitudine esset, velut insignis ad deformitatem puer: mori in scribendo tunc visitatissimo obtemperantes in limine de verborum obligationibus tradiderunt. In eundem fere modum, poenis facinorum statutis, Decemviri legum ferendarum de iis, qui fidem alterius sequuntur, verba fecere tabula III. Et licet haec, prout hodie illam restitutam videamus, caeteris inopia argumentorum sit quodammodo dissimilis propterea, quod pleraque conditiones, in quibus tractandis pars III. Digestorum versatur, ex legibus et consuetudinibus nouis ducant origines suas: non tamen inepte quis existimaturus esset, posse ipsi magnum accedere incrementum ex iis, quae relata legimus apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM Archaeol. Rom. IV. pag. 216. Seruum scilicet Tullium quinquaginta legibus vindicasse delicta et firmasse contractuum sanctitatem. Nam quibus

bus Seruius rempublicam composituerat sanctionibus, eas quum semper magno in pretio habuerit gens Romana: credo sine audaciae suspicione statui posse, sicut reliquas, ita et has de contraria, moribus maiorum seruatas transiisse tandem in ius Decemvirale. Et quamvis paeclarla illa ἀποσπασμάτια, quae ex Caii Dodecadelto petita sunt, hanc rem silentio premant: tamen quum aeuī inuidia ex his amplissimis commentariis non nisi rarae quaedam particulae supersint, non immerito Dionysium Caio sufficeremus, nisi, quae capi quodammodo posset de ampliando iure Decemviral iure paeclaris Seruii Tullii legibus, quum harum solida cognitione orbati simus, spes redderetur inanis. Tabula IV. agitur de summa illa ciuium Romanorum maiestate, potestate patria, non tali, qualem, confusis imperii et dominii limitibus, liberos in patris iure constitutos rerum mancipi numero ac loco habentes doctissimi quidam viri sibi finixerunt, quorum antesignanum BYNCKERSHOEKIVM ideo notavit Ampliss. CONRADVS Epit. Digest. T.I. pag. 30. sed ea, quae, et si latissime patuit, talibus tamen finibus sunt circumscripta, quales illius et dominicae potestatis discrimina etiam antiquissimis temporibus innotuisse ostendunt. Praeterea censem interpretes, legum ferendarum Decemviro hoc loco de iuribus connubii tradidisse, quae sola etiam commemorantur in quarta Digestorum parte e capitibus hac tabula recensitis. Heic quoque de adoptione actum statuit HOTTOMANNVS, Antiq. Rom. lib. 3. p. 413, negat autem hoc iuris corpore arrogationem fuisse confirmatam, propterea, quod comitiis opus fuisset ad mutandam familiam, nec quisquam potuisset sola legis formula capite minui. Sane haec comitorum necessitas, sicut inde a remotissimis temporibus adfuit, ita in hoc iuris tripartiti apparatu conscribendo legum conditores his verbis: De capite ciuus Romani non nisi per maximum comitiatum, voluerunt illam ad futura tempora porrigitere. Iam nos ad se vocat fons ille successionis tabula V. Discimus

scimus legem: Paterfamilias, tanquam necessarium carmen, omnem iuris antiqui testamentarii oeconomiam duabus fere lineis comprehensam. Quippe ignota fuit haeredipetarum natio, diu ignorata odiosa infamiae accusatio, ignotus secundus haeres, nec non incognitae haereditatis deliberationes, nisi quod hunc vel illum seruulum libertate donarent testamento, aut statu liberum esse iuberent, vnde sequenti tempore legatorum distributiones prouenisse suspicamur. In hac igitur Pandectes et Leg. XII. diversissima facie nolumus sexcenta capita e Digestis excerpta cum hac aut illa veteri iuris formula comparare. Praeterea hac tabula liberis quoque capitibus ordinati custodes ad tuendos illos qui se non possent defendere; sed has legum quaestiones magistratus juris dicundi ad iura connubiorum concierant, quem ordinem et in Edicto perpetuo seruatum secutus Tribonianus et caeteri, qui Digesta composuerunt. Hic quoque sanctitae erant intestatorum successiones, quae deinde sortitiae locum in sexto digestorum parte, forte ob eandem rationem, quae sua sit, legatorum argumenta tribus libris absoluere, ne si uno simul comprehendenderentur, hic ceteris inique latior esset. Caeterum sextae tabulae vestigia hac in parte inuestiganda sunt, quae praecipue conspiciuntur in vsu capionibus et usurpationibus. Post rerum auctoritatem tempore anno et biennali finitam, actum est de usu capto matrimonio, eam quidem ob causam, quoniam, ut aduersus BOETHIUM demonstravit ad Collat. Leg. Mosaic. et Roman. Tit. 16. in Schulting. Iur. Anteius. p. 791. PETR. PITHOEVS usu etiam in manum conuenerunt vxores, et tali ratione bonorum vniuersitas transit in maritum. Ob eandem causam in illo ipso loco de repudiis edictum; haec deinde secta lis vindicarum. Hanc vero male de possessione caperes, quum tunc temporis illa remedia nondum essent prodita, quibus quis se in sua proprietate possessionem assequi posset: sed potius legis voluntas haec fuit, ut se-

B

cundum

cundum libertatem darentur vindiciae in actione, quam postea  
Icti negotoriam et libertatis vindicationem dixerunt, sed secun-  
dum eum, qui possidet in caeteris in rem actionibus.

Iam supra diximus de maleficiis, in quae tabula septima  
animaduersum est. Quum Edictum perpetuum maximam  
partem acquiesceret in ciuilibus negotiis ordinandis, non  
poterant digestorum compilatores respicere ipsius seriem in  
componendis libris, quibus postera aetas horribilium nomen fe-  
cit. Quos tamen si quis cum septima tabula attente com-  
parauerit, seriem utrisque quodammodo communem e primi-  
tuis statim colligi posse fatebitur.

### A N A L E C T A DE SVCCESIONIBVS FEMINARVM

Qui super haereditatibus intestatorum commentati sunt,  
siccō ea praeterierunt pede, quae in fraudem communis opini-  
onis de antiquis feminarum successionibus proferri possunt.  
Sunt tamen, quae moneri queant aduersus sententiam, cui vi-  
ri docti tantum non omnes fauent, haud leuia, quibus excu-  
tiendis dabimus operam. Ac primum quidem ordo dicendo-  
rum a nobis exigit, vt dicamus, quinam quibusque argumen-  
tis disputent, aduersus quos orationem nostram dirigimus.  
**G**VILIELMVS quidem RANCHINV S *Comment. de success.*  
*ab intestato §. 13. in Meermann. Thes. T. III.* Iure Decemuirali filia-  
bus aequē ac filiis delataam censer haereditatem paternam, nec  
dubitas eandem opinionem etiam ad haereditates iure agnatio-  
nis capiendas transferre. Cum eo sentiunt viri doctissimi  
**P**ERIZONIV S *in diff. de lege Vouvia et SCHVLTINGIV S*  
*ad Pauli Rec. Sent. Tit. VIII.* aliisque, quanquam PERIZONIV M  
non adeo illi addictum video, ne facili negotio posset in con-  
trarias partes detrahi. Testimonium denunciant DIONYSIO

HA-



HALICARNASSEO lib. II. cap. 25. GELLIO. Noct. Attic.  
PAVLLO Rec. Seut. t. l. atque ipsis scriptoribus institutionum  
Iustinianarum. §. 3. Inst. de legitima agnatorum succession. Pri-  
mum prodeat in medium DIONYSIVS, qui de successionibus fe-  
minarum haec tradidit. Τελευτήσαντος τῷ ἀνδρὸς οὐληρονόμος  
ἔγένετο τῶν χρημάτων ὡς θυγάτηρ πατρός. "Εἰ μὲν ἀπαίς τε  
νοι τερὶ μηδενὸς διατιθέμενος αποθάνοι, πάντων δύσι νυρια τῶν  
αποληφθέντων, εἴ δε γενεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ισόμοιρος γνωμένη.  
Sed qui animum aduertet ad hunc locum facile inueniet, scri-  
ptorem in transitu tantum fecisse successionis huius mentionem.  
Vbi enim de licentia diuortii Romuli legibus admodum circum-  
scripta commémorauerat, enumerare instituit praemia fidei con-  
tingalis, in his vīsi et hac ratione, quae de recentiori or-  
dine succedendi intellegenda est. Quo GELLII quoque  
verba sine dubio pertinent, quibus scriptor rem e me-  
dia potissimum iuris prudentia repetiſſe videtur propter ea,  
quod ante suam aetatem ab vīsi rēcesserant in manum conuen-  
tiones. Videamus an grauius illius sententiae testimonium a  
Paullo renuncietur, cuius verba nobis videntur valde contraria  
esse. Is enim l. c. Feminae, inquit, ad haereditates legitimas ul-  
tra consanguineas successiones non admittuntur, idque iure civili Vō-  
coniana ratione videtur effeſsum: ceterum lex XII. tabularum nulla  
discretionē sexus agnatos admittit. Sed existimamus hic locum  
habere, quod crebro viri eruditī notaerunt, esse ſcilicet veteri-  
bus iure consultis admodum familiare, quod recentiore lege  
aut consuetudine introductum est, ipsis antiquac sanctioni, cui  
aut ſurrogatum, aut cuius interpretatio morem inuenerit, il-  
lud addicere. In exemplis numero infinitis hoc inprimis illu-  
ſtre et huic nostro confilio maxime consentaneum videtur. V L-  
PIANVS lib. 14. ad Scabin. in cap. 1. D. de legitimis tutoribus.  
Legitimae tutelae, inquit, lege XII. tabularum agnatis delatae  
ſunt et consanguineis, item patronis, id eſt, his qui ad legitimi-

mas haereditates admitti possint. At is tamen alio loco scribit lib. 38. ad Sabinum cap. 3. t. c. Tutela legitima, quae patronis desertur lege XII. tabularum, non quideu specialiter vel nominatim delata est, sed per consequencias hereditatum, quae ex ipsa lege patronis datae sunt. Ex quo colligitur, legitimam patronorum tutelam non, ut antea dixerat, esse ipsa lege iussam, sed iureconsulto ratione ipsius intellecta retulisse publice scriptam populi voluntatem interpretando ad ea, quae verbis non essent expressa. Supereft, quod in Iustinianis Institutionibus l. c. legimus, L. XII. fuisse ignotum discriminem inter agnatos et consanguineas. Verba sunt haec: *Haec Lex XII. Tab. nullo modo introduxit, sed simplicitatem legibus amicam amplexa simili modo omnes agnatos sive feminas sive masculos cuiuscunque gradus ad similitudinem suorum iuicem ad successionem vocabat.* Locum κατὰ πόδα transtulit Theophilus: ὁ γάρ δωδεκάδετος τὴν τοις νόμοις συνήθη Φιλῶν ἀπέστητα ἀπαντας ὄμοιους ὄδνάτες ηγέτας, οἷς δῆποτε ἔειν βαδις, παρ' ὄμοιότητα τῶν σέων ἐπὶ τὰ τῷ τελευτήσαντος ἐκάλει πράγματα. Sed sensit iam PER IZONIVS debilem esse hac in re auctoritatem horum triumviri, qui ius civile constituerunt, repugnantibus omnium gentium moribus, quorum catalogum amplissimum ipse recensuit. *Vt ut sit, inquit, in comment. laud. p. 135. masculorum tamen progeniem lex XII. tabularum feminis praeposuit, fateute ipso Tribunia no in Inst. de SCto Tertull. Et ex masculis progenitos plus diligens nepotes ex filia inter legitimos heredes non numerauit* §. 15. Inst. de haer. quae ab intest. Et eodem loco, vbi munificentiam Romanorum in dandis dotibus praedicauit, his verbis pergit: Censebant proinde feminis sufficere dotes, quas iam olim adeo luculentas pro temporis istius publica priuataque opum mediocritate acceperint, ut ex eo verisimile videri possit, etiam ante legem Voconiam coarctatam aliquantum fuisse in feminis haereditates ab intestato adiungi facultatem. Videntur autem hae potissimum rationes

com-

commendare illorum sententiam, qui neque fuitatis neque agnationis iure mulieres a decemuris ad defunctorum bona capienda vocatas iudicant. Primum omnium gentium mores hac in re conueniunt, feminas praeter alimenta et dotes nihil e bonis paternis accepisse, quae res a PERIZONIO iam confecta est. Dos vicem quasi fuissebat illius portionis, quam e paterna domo secum tulisse emancipatos verba parabolæ Christi *Luc. XV, 12.* declarant: πάτερ δές μοι τὸ ἐπιβάλλον μίσθιο τῆς στασίας. Memini quoque me legere in VVILINGII lect. iur. ciu. prima legitimæ partis initia in seminarum dotibus quaerenda esse. Sed quum id, quod moribus introductum est, scriptis legibus temperari atque aboleri possit, in hoc solo argumento non possumus omnem collocare fiduciam. Grauius est, quod tituli memoresque fasti ad posteros pertulere de nobili et generosa Romanorum cupiditate tuendi gentis suae splendorem et dignitatem. Saepe illos adeo, ne vel nomine quicquam decederet celebritati familiarum, curasse, decreta gentis Manliae et Claudioe ostendunt in aliis antiquitatis monumentis excitata a SIGONIO *Comment. de nominibus Rom.* et CHLADENIO *in libro de gentilitate vet. Rom.* Hos igitur qui tantopere consuluerunt suae maiorumque suorum memoriae conservandæ, feminarum successiones admisisse haud vero simile est, vt pote quas in alias domos aliarumque gentium sacra transire et parentur et vellent. Non minus firmum sententiae nostræ praefidium collacamus in obeunda tutela, quae quum ad exemplum haereditatis agnatis iisque masculis deferretur, ad illos quoque solos successionis commodum peruenisse ostendit. Et quamvis benigna tandem mulierorum I. Ctorum interpretatione, mores antiquos, quibus res staret Romana, susque deque habentium antiquis, succedendi ordo plane mutatus esset, vt sine sexus differentia admitterentur omnes: nunquam tamen Prudentum auctoritas munus etiam tutelæ feminis contulit, quas illi

obeundo semper inidoneas iudicauere. Vnde eo magis  
 appetet, hoc tutelae et successionis deferenda discriueni non ab  
 origine rei publicae neque a XII. tabularum temporibus repe-  
 tendum esse. Praeterea iuuat opinionem nostram, quod raro  
 tum temporis Romae sui iuris fuisse feminam nouimus, sed  
 tanquam filiam principatus domestici incapacem ex patria pot-  
 estate in maritalem, e familia in familiam, e gente in gentem  
 transiisse; nec ipsi, nisi sacerdotio Deae Vestae fungeretur, a le-  
 gibus fuisse concessam testandi facultatem, quo iure solum pa-  
 triemfamilias decoratum acceperimus. Sed quae nec suorum nec  
 agnatorum familiam nancisci poterant, has tamen ego mulie-  
 res gentilitias haereditates capere potuisse, his maxime rationi-  
 bus ductus coniicio. Etiam si enim familiarium nomina non habe-  
 bant, constat tamen gentilitiis eas fuisse ornatae, quo quidem hac  
 cautione, ne quis maiorum, nisi forte communis gentis condi-  
 tor, justam seruitutem seruisset, in haereditatibus gentilitiis maxi-  
 me respectum est. Libertus enim patroni beneficio factus solebat,  
 illius munificentiam et liberalem animum nomine suo celebrare;  
 exhibat momento turbinis H Y G I N V S et P H A E D R V S, sed neu-  
 ter a stirpe, cuius nomen ipsi impositum et a patrono com-  
 muni suam ducebatur originem. Fuit igitur singularis nota in no-  
 mine posita, vnde facile intelligi potest, quibus de caussis tum,  
 cum summa rerum consensu S. P. Q. R. vni esset permissa,  
 tam insignis mutatio in tribuendis nominibus oborta sit, quam  
 praeter alios commiembrauerent C A S A V B O N V S ad Sparian.  
*Hadr. c. p. 2. et C H L A D E N I V S in libr. excit.* Quid enim no-  
 minum subtilitas profuisset, postquam gentilitiae hereditates  
 stabilitate vniuersi dominatione quasi cum ipsa populi Romani liber-  
 tate sensim evanuerant. Certe ad hanc demum aetatem, nisi  
 etiam ad spurios pertinent tituli lapidares, quos e G R V T E R I  
*Thesaur. Infer. et MARCIVELSERI Operibus CHRISTIVS in*  
*Noct. Academ. Specim. III. Obs. 23.* retulit, vnde liberos matris  
nomen

nomen interdum fortitos esse apparet. Deinde semel ad gentiles delata haereditate, maximam partem actum erat de familiarum splendore, quum non secundum gradus propinquitatem bona defuncti deferrentur, sed omnes ad exercitum familiam accederent. Caeterum hanc legum duritiem et morum iniquitatem temperasse benignam prudentum interpretationem, iam diximus. Cui deinde limites posuit reuocatis priscis moribus lex Voconia. At illius de arguento tacere satius est, quum qui FRANCISCI BALDVINI, IACOBI PERIZONII atque ABRAMI VVILINGII curis quicquam addere insitueret, is aequae videretur actum agere, atque is, qui vellet post BRVM MERI lucubrations super lege Cincia commentari.

PRAETERMISSA  
DE  
ORIGINE ANTESTATIONIS  
ET  
TESTAMENTI PER AES ET LIBRAM.

De solemi antestati officio amplissima daretur dicendi copia, nisi, qui de mancipatione scripsissent, hoc argumentum splendida eruditione exornassent. Differemus vero de ipsius origine, et num eius praesentia fuerit necessaria. Quia tamen in re orationem sic cohibebimus, ut ad eum solum pertineat, quo usi veteres in mancipando, non ad illum, qui auriculam opposuit vocanti in ius. Nam hoc quidem argumentum tanta eruditione perillustris BORNIVS *Comment. de antestatione in ius vocantium apud Romanos Lipsiae 1737. palam edita* pertractavit, ut ne doctissimis quidem videatur spicilegium reliquisse. Igitur ut ad illum redeamus, qui se non sinebat antestari ab aliis, verum qui alios ipse antestabatur; constat enim vtrumque verbi sensum esse et agendi et patiendi; negotia alicuius momenti antiquissimi

mis

mis temporibus in comitiis in conspectu ciuium fuisse pera-  
sta, norunt omnes. De arrogationibus et familiae emtionibus  
hoc veteres diserte tradiderunt, sed et idem de caeteris manci-  
pationis generibus, e numero quinque testium caeteris que  
omnibus negotii perficiendi caerimonias, e que iis ipsis, quae sta-  
tim de antestato dicturi sumus, suspicari possumus. Is scilicet  
tunc temporis erat magistratus, qui si auctoritas populi necessaria  
era, rogabat ipsius sanctionem et iussum. Magistratum au-  
tem esse oportuit, quia nemo prinatus poterat ad populum  
agere. Sed in quibus tantum Quiritium testimonio opus erat,  
hae, veluti mancipationes, vt et extra comitium peragi possent,  
mores et domestica necessitas efficerunt. In testamentis au-  
tem suffragia populi requirebantur, vt is, quam sanxisset legem  
de successionibus intestatorum, contraria lege tolleret. Quam  
ob rem TREKELLIVS de orig. atque progressu testam. fact.  
pag. 32. in notando THEOPHILO ob f. 1. Paraphr. Instit.  
Tit. de testament. ordinand. aequus videtur fuisse censor, licet eru-  
ditissimo REIZIO in Animaduers. ad l.c. displiceant, quae ab illo  
dicta sunt. Neque enim in priuati cuiuslibet vi ac potestate  
situm erat, committinem ciuitatis sponzionem voluntate sua  
mutare, sed id iustum erat ratumque, quod postremum  
populus constituerat. Hinc facile potest intellegi, saepe  
euenisce, sicut et THEOPHILVS l.c. tradidit, vt quum  
non, nisi vere et auctumnali tempore, haberentur comi-  
tia, multi decederent, qui rei suae noua lege consulere ma-  
luissent. Quam spem ciuium breui dierum summa lon-  
giorem et morte toties interceptam quum nollent Romani am-  
plius in incertum euentum conferri, lege illa celebri et spectata:  
Vti legassit: vltimas ciuium suorum voluntates quasi in ante-  
cessum confirmauerunt. Sed qui recitata lege tam bene con-  
suluerunt moribundis, videatur quoque nouam testandi formam  
descriptissime, permittentes illa, quae de sacris detestandis perlata est,  
lege

lege, ad quas pro regiminiis forma ordinarie bis tantum uno-  
quoque anno agi potuit, has populi quinque tribus totidem  
singulis testibus repraesentari. Ac profecto quae ab interpre-  
tibus tribuitur Iureconsultis origo testamenti peraes et libram,  
aliunde est arcessenda. Nam qui a nobis diuortium faciunt,  
omnes tamen puto concedere, tabulas ciuium supremas, et  
iamfi in calatis comitiis non compositas, lege XII. tabularum:  
*Vti legafit, ita ius esto:* vim habuisse ac robur. Itaque de  
origine quinque testium tantum litigari intellego. Nam haere-  
ditas in comitiis perinde neque aliis caerimonias mancipari solita,  
quam in ista noua per aes et libram testamenti factione. Quapropter  
et familiae emtorem initio ipsum haeredem fuisse, com-  
plures ex Theophilo notauerunt. Nos vero nec infuscatis flat-  
tim temporibus subornatum semper hominem loco veri heredis  
putamus, verum ex duplice tantum vel suspicionis, velut idem  
*THEOPHILVS loco saepius laudato* testatur, vel sacrorum interi-  
mendorum causa, quod persuadent verba *CICERONIS*, in  
*Orat. pro Muraena cap. 12.* male olim explicata a *GRONOVIO* de  
pecun. vet. lib. 4. cap. 7. et a *GRAEVIO* in notis ad Cicer. loc. laud.  
sed vindicem nacta egregium *FRANCISC. CAROL. CON-*  
*RADVM Parerg. II. 1. de coenitibus sacrorum interimendorum*  
*causa factis.* Id enim, qui Ciceronis locum attente legit ne-  
que aliud quicquam concedet, neque aliquid amplius ex eo  
praeclare perspici. Nec ideo quis dictum arbitrabitur per aes  
et libram testamentum, quasi eo in comitiis condito, haud aere  
percussa fuisse libra: sed quia haec sola solemnitas permanit,  
in qua cernerentur hae prisci negotii reliquiae, inde nomen et  
iam nouae formae ab ea ipsa caerimonia sumtum. Sed red-  
denda quoque ratio est, cur legem de sacris detestandis sanxisse  
solemnia testamentorum credamus. Est *GELLII in Noct. Att.*  
lib. 6. c. 12. locus notatu dignissimus, vnde Seruium Sulpicium  
patet in libro, quem de detestatione sacrorum scripsit, tradi-

XVIII

disse de testamentis. Quod si igitur verum, hanc iuris Decemuiralis particulam in alterutra extremarum tabularum habtam, accreuisse legibus antea de testamenti factione latis: haud vero conuenientius quicquam arbitrer, quam illos tab. IX. vel XII. quid rati pensique haberent de externis ritibus, docuisse, qui paullo ante internam illam solemnitatem, idonei scilicet haeredis institutionem, praescriperant. Quod si factum non esset, de potestate extra comitium testandi conuenissent omnes, de forma et ratione non aequae, quam nec prudentum interpretatio nec ius non scriptum confessum potuisset surrogare, quippe quod est ἐνηγμα τῇ βίᾳ νοῦ χρόνῳ, nec ex die vigore solet, sed annorum serie et temporis praeterfluxu vim suam accipere. Omnibus his quae super hoc argumento differuimus haud leue pondus accedit iis, quae GRAEVIVS in praef. ad T. I. Thes. Antiq. Rom. de hac sacrorum detestatione dedit, eam interpretatus modum transferri sacra priuata ad haeredes et legatarios partarios. Quibus sententiam nostram mirum in modum munitam videmus. Sed inuenit, cui displiceret tanti viri opinio, celeberrimum SCHWARZIUM differt. de detestat. sacror. §. 13. qui sacrorum detestationem descripsit solemnem sacrorum consecrationem in comitiis peractam, et Sertium quidem Sulpicium in excitato libro propterea de testamentis egisse contendit, quod in comitiis habitis sacrorum consecrandorum ergo soliti fuissent Romani testamenta condere. Ego vero non possim a me impetrare, vt statuam virum splendidissimae eruditioonis communi interpretum errore fuisse abruptum, vt illud horum scilicet ingenio excogitatum nouum comitiorum genus, nempe nullius rei, nisi testamenti cuiusdam caussa calatorum, amplectetur. Quod profecto nec Gellius nec Theophilus, quamquam laudati a multis tanquam auctores huius sententiae, tradiderunt. Verum hac opinione reiecta, nescio, quid coniectaram Schwartzii amplius iuuet. Nunc paullum illustrata origi-

ne

ne testamenti per aes et libram, facilis erit solutio quaestio-  
nis, num antestati praesentia in mancipationibus fuerit necessa-  
ria? Scilicet quum testamenta adhuc in comitiis conderentur,  
haec familiae mancipatio sine antestato fieri non potuit, ob po-  
puli rogationem a persona publica faciundam. Eadem ratio ad-  
erat in caeteris ciuilibus negotiis, quae non nisi populi auctori-  
tate peragi poterant. Sic fere personam antestati sustinuit, qui  
pronunciauit formulam in arrogatione vicitatam, quam habet  
*GELLIUS lib. 5. c. 19.* *Velitis inbeatiss Quirites, uti L. Vale-*  
*rius L. Titio tam iure legeque filius sit, quam si ex eo patre ma-*  
*treque familias eius natus esset: utique ei vitae necisque in eum pote-*  
*blas sit, vii patri endo filio est. Hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites*  
*rego. Sed quum haec in conspectu ciuium testandi necessi-*  
*tas Leg. XII. temperata esset, eueniebat, ut alii adhiberent*  
*personam singularem nulla in mancipationibus, nisi antestati,*  
*munia obituram, alii ea ipsi obirent, denique alii has partes de-*  
*ferrent emtori, quocum negotium aut vere aut dicis cauilla*  
*contraheretur. Caetera magis ad ipsius officia pertinent,*  
*quod quidem argumentum quum Illust. KVISTNERVS do-*  
*cissima commentarye Lipsiae aa. 1742. in publicum edita*  
*exhauerit, actum non agam.*

### ANTIQUITATES SERVITUTIS

#### POENAE

Eos quidem fuisse limites Praetorum Quaesitorum potestatis  
noodiis docuit, ut ne possent quemquam ciuem Romanum ca-  
pitis damnare, nisi dignitatem antea, qua se reddidisset indi-  
gnum, atroci sententia ademissent. Ita enim ille *Probabil. lib. 3.*  
*cap. vlt. ubi commissum erat, inquit, capital a ciue, quaeſtores*

non esse ciuem eum iudicabant, qui capite damnatus foret, seruum  
 appellabant poenae. Ita quanquam ciuis esset, vitam tamen tan-  
 quam seruus amitterebat. Sed quum Noodius adhuc reliquerit,  
 quae videntur ad causam huius seruitutis pertinere, licebit  
 nobis in illam paucis inquirere, et quae sit ratio nominis, cur  
 idem non in aliis quoque eorum, qui poenae causa seruebant,  
 generibus obtinuerit, breuibus indicare. Videtur autem ser-  
 uitutis poenae origo haec esse. Solum perduellionis crimen  
 leges antiquae ultimo supplicio vindicabant. Nam R O M V-  
 T V S et N V M A P O M P I L I V S celebri lege de paricidio lata  
 illum solum interfici voluerunt, qui sciens dolo malo necasset  
 liberum hominem aut dato factoue veneno ipsius maturasset  
 mortem. Parum abest, quin fastidium verear excitare lecto-  
 ribus meis repetendo locum nimis tritum atque vulgatum, quem  
 ex C A I I Comment. ad XII. Tab. depromtum legimus cap. 234.  
 D. de verb. signif. Ecce tamen verba, quae sic habent: Quos  
 hostes non dicimus eos veteres perduelles appellabant, per eam ad-  
 iectionem indicantes cum quibus bellum esset. Hac C A I I au-  
 thoritate statuimus, legem horrendi carminis, quae Duumui-  
 ris facultatem concessit cognoscendi de nefando H O R A T I I  
 crimine, fecisse ipsis potestatem confessum conuictumque parici-  
 dam declarandi hostem populi Romani. Nempe ob simu-  
 latam H O R A T I I sub iugum missionein, cuius moni-  
 mentum post longos annos extitisse in sororio tigillo nobis  
 tradidit L I V I V S lib. I. c. 26. suspicamur paricidii con-  
 demnatos, id est, eius criminis, quo rem publicam hostili ani-  
 mo inuasissent, velut hostes legitimo bello captos, maxima ca-  
 pitis deminutione libertatem suam amisisse, nec capitale crimen  
 nisi postea, quam missi sub iugum fuerant, morte expiasse.  
 Itaque seruitus poenae pertinuit ab initio ad illos qui perduel-  
 les populi Romani facti erant paricidio commisso, quod a pa-  
 renticidio distinctum fuisse demonstrarunt M E E S T E R V S in li-  
 bello

bello ad leg. Pompeiam de parricid. Trai. ad Rhen. edito et  
VVAGNERVS *Dissert. de suppliciis paricidarum Lipsiae habita*  
*fic, vt vtrumque capital fuerit, diuersa tamen ratio sumendi*  
*supplicii obtainuerit.* Sed miseram hanc conditionem propterea  
vocarunt poenae seruitutem, quod, qui tunc temporis  
seruebant, aut iure gentium capti, aut nati ex ancillis, aut  
a patre venundati in hanc calamitatem inciderant, adeoque  
praeter perduelles istos et paricidas, nullum erat hominum ge-  
nus, qui vtraque libertate in poenam multati essent. Nondum  
enim in incensos, nec in illos, qui militiam subterfugerant, anim-  
aduersum erat, quippe quorum perfidiam primus coercuit s E R-  
VIVS TULLIVS. Haec seruitutis poenae ratio fuit vsque ad  
Imperatorum tempora, quibus admodum creuit numerus  
cruentorum iudiciorum, et multorum aliorum criminum reis  
poena capitalis irrogata est. In quorum quidem suppliciis  
non poterat fieri, quin adhiberetur pristinus mos detrudendi ne-  
candos in seruitutem, qui inde a remotissimo aevo a maiori-  
bus in posteros, a seculo in seculum, iure quasi haereditario erat  
translatus.



N O B I L I S S I M O  
A T Q V E  
H V M A N I S S I M O  
I O H . A V G V S T O C L E E M A N N O

S . P . D

I O H . T H E O P H I L V S S E G E R V S

**Q**uam ingeuii TVI alacritatem quem que litterarum amo-  
rem et disputationibus crebris et audiendi discendi-  
que sollertia praeclare perspexi, CLEEMANNE,  
AMICE CARRISSIME, huius publice testem fieri hunc libellum  
et TVA et mea caufa admodum laetor. Quamvis enim non in omni-  
bus, quae erudite et libere conieciſti, TIBI aſſentiar, mihi que rerum  
quarundam rationes, quod pace TVA dicere liceat, nimis fere difficiles et  
ſubtiles reddidisse videaris, vehementiſſime tamen placet hoc ſtudium in  
cauſis legum inueniendis poſitum, et diligens iſta reconditorum atque  
elegantiorum litterarum traſlatio mirifice conformat ſpem meam de eru-  
ditissimo ingenio TVO optimis que artibus inſtruſto conceptam. Ita-  
que

que nihil de fententiis *TVIS* minuere aut delere fuisse, sed libellum,  
vti a *TE* scriptum ac perpolitum accepi, ita integrum et nullis emenda-  
tionibus variatum reddo. Habebunt sane lectores industriae *TVAE*  
in litterarum studiis posita testimonium, et quam nouum ornamentum  
sibi ac decus ab eruditione *TVA* promittere possit, alma haec stndiorum  
pareus, cui, quae acceperisti, redditurus es, academia iudicabit. Ego  
vero, quod mihi eruditum disciplinae meae alumnus contingit in cath-  
edram primum producere, id quidem gratissimum iucundissimum que be-  
niuolentiae atque amoris *TVI* documentum habeo, et ut hic laudis in-  
gressus *TIBI* felix et fortunatus sit, atque ut industriae *TVAM*  
doctrinam que amplissima praemia consequantur, ut que optimum in primis  
acerrium que ingenium ad maiora suscipienda excitet potentium viro-  
rum munificentia, Deum veneror. Bene vale, *VIR OPTIME*, et me  
ama. Scr. Lipsiae X. Cal. Dec. an. cicccccxviii

9

autem exinde usq; anno millesimo LVI dicitur nomen  
Giovanni Petrus de Vries, natus in 1520.  
MAGISTER IO. PETRUS DE VRIES, natus in 1520, anno 1540. A  
magistris eiusdem natus videtur esse annos 1520 et 1521. A  
hunc si non minus tamen quod videtur natus anno 1520. Anno  
maturus enim illius, natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540. Et videtur natus anno 1520. Et videtur natus anno 1521. Anno  
1540.

00 A 6448

ULB Halle  
002 928 140

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



# MISCELLA ARGVMENTA IVRIS CIVILIS

PRAESERTIM DECEMVIRALIS

MAGNIFICI I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

## IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE

ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

H. L. Q. C

D. XXIIII. NOV. CICICCLXVIII

P R O P O S V I T

A V C T O R

## IOHANNES AVGVSTVS CLEEMANNVS

C H E M N I C E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A

9.  
Ges. D. Ennied